



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. Neque arbitrarie & obedientialiter Deum creati alicuius formam esse
posse monstratur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

nis pertingit. Ex quo rursus fit, humanitatem vnitam, ac proinde totum Christum ratione illius posse à Deo fieri, atque eius perfectionem eminenter, & intensiue in solo Deo contineri. Quare ad rem exemplum non est.

CERTAMEN II.

*Neque arbitrariè, & obedientialiter
Deum creati alicuius formam esse
posse monstratur.*

1. Quæ hæcenus dicta à nobis sunt, satis ostendunt: Deum nullius creati formam suapte natura, siue connaturalem esse posse. Quoniam vero plura quæ suapte ingenio, & connaturaliter rebus conuenire nequeunt, absoluta, & supernaturali potentia spectata possunt quæ Dei, & obedientialiter rebus potentia spectata possunt absolute eidem conuenire: ostendendum hic restat, neque hoc quidem modo, Deum rei creatæ formam, neque hanc Dei subiectum esse posse. Id quod ex datis rationibus non ita dilucide demonstrari videtur. Quinimo ex Incarnationis mysterio oppositum videtur posse non magno labore suaderi. In primis enim, licet humanitas connaturaliter, siue suapte natura, totum, non autem pars sit, alterius, vt supposito, siue in supposito vnibilis, ac proinde neque id in connaturali prouidentia sit possibile; tamen potentia eius obedientiali, absoluteque Dei potentia, & arbitrio inspectis, supernaturali prouidentia esse id totum possibile factio ipso mysterij comprobatur: in quo humanitas, & pars huius compositi *Christus* est, atque alteri, vt supposito, & in supposito vnitur; & licet creaturæ vniri suapte natura & connaturaliter Deus neque exigat, nec repositat, ac proinde neque sit connaturaliter vnibilis; tamen supernaturaliter vnibilis esse mysterium idem ostendit: ergo, licet natura sua, seu naturaliter Deus forma rei creatæ esse nequeat, supernaturaliter tamen è Dei arbitrio formam illius strictam esse non ita citim repugnabit.

2. Quinimo, siue vniri ex voluntate libera Dei humanitati, vt totum quod *Christus* est, componat ex eodem mysterio compertum est, quidnam ei deficiat, vt pars Deus sit: non facile apparet. Physice enim, & realiter totum illud essentialiter componit æque, atque humanitas, quæ pars proculdubio Christi est, qui essentia sua constat utroque. Cum tamen partis physice conceptus in compositione totius, quod ex ipsa constat, omnino constet. Confirmatur. Quia implicat vnum per se nisi ex actu, & potentia constitutum: si ergo Deo potentiam, seu subiectum esse repugnat, forma, & actus in eo composito erit. Confirmatur vterius: quia implicat vnum constitui, nisi ex perfectibili, & perfectiuo; licet autem Deus, quia summe perfectus de se per rem creatam absolute, & omnino perfectibilis esse nequeat: alit perfectiuum rei creatæ esse nihil prohibet; ac proinde neque rei creatæ formam, seu actum, quæ è conceptu suo subiecti perfectius actus est. Et quidem Deum Christi sibi vnitam humanitatem multifariam perficere concors Theologorum sententia est. Quamuis autem nequeat continentia eminentialis, & intensiua perfectionis mareria, seu subiecti, ac proinde totius ex vtraque resultantis in parte, seu forma connaturali subiecto esse; alit in non connaturali, sed voluntaria esse posse, idem etiam mysterium euincit: cum humanitatis, & vnionis hypostatice, ac proinde totius Christi, qui illis constat, perfectio eminentialiter, & intensiue in Deo vnio omnium sententia sit.

3. Cæterum, licet hæc dubiam, apparetur satis, nostram conclusionem reddant: Nihilominus infirma sunt: quare vniuersum tenendum est Deum; nec voluntariam creaturæ formam esse posse, neque ei, vt subiecto, & materię vniri, adhuc ex eius dignatione, & arbitrio. Hanc conclusionem video non satis efficaciter probari à Soario, quia forma, etiam voluntaria, vt cum materia aut subiecto de facto componat, mutari physice debet, quod Deo

repugnat. Sed enim, cum, vt de facto componat forma solum vnionem sui ad subiectum requiritur, deindeque vnio Dei ad humanitatem inuicem, strictissimamque; quia Deus intrinsece, sed solum extrinsece mutatur, quia ei vnio, licet adhæreat intime, non tamen inheret: idem etiam, si vniretur, vt forma ipsi euenturum dici posset: quin è præcisa vnione ad materiam animum rationalem intrinsece non mutari mihi probabilis longe semper fuit: cum eius vnio in materia iuxta modum recipiatur, subiectetur, & inheret: est æque, incimitate æquali, vtraque pars vicissim vnitur. Probat secundo, quia forma substantialis constituit rei essentiam, implicat autem creatam, & defectibilem essentiam increato, & indefectibili constitui. Sed, cum totum in essendo debiliore, & imperfectiori absolute censendum sit, nescio quid sit in eo absurdi. Ecce noster, animus immortalis, & spiritalis corporales nos mortales ac defectibiles constituit.

4. Conclusio ergo probanda est ex imperfectionibus, quas ratio partis essentialiter includit. Primo enim omnium consensu pars essentia sua perfectibilis per aliam partem, atque incompletum quid esse debet, enique proinde in potentia. Hæc autem omnia Deo essentia, & entitate sua nuda, ac sola perfectissimo, seu summe perfecto completo repugnant: ac proinde, neque ex suo arbitrio, & dignatione, nec solum natura sua, pars Deus esse poterit: ergo nec poterit vquam rei cuiuspiam esse forma: cum forma necessario essentia, & entitate sua pars sit. Totum discursum confirmat Augustinus de Christi compositione agens 3. contra Maximin. c. 10. his verbis: *Christus vna persona est, gemina substantia, nec tamen Deus pars huius persona dici potest; alioquin filius Dei antequam acciperet formam serui non erat totum.* Quibus verbis non solum rationem nostram confirmat, sed & rationes, quibus conclusionis nostre veritas ex Incarnationis mysterio videbatur quassari, retundit. Scio Iustinianum Imperatorem suæ fidei edicto, & Deum, & humanitatem in Christo partes vocasse. Cum, inquit, *compositionem dicamus, necesse est, & partes in toto esse confiteri, & totum in partibus cognosci.* Et Nicetam or. 42. Nazian. 2. in Palcha 5. *proinde agnus appellasse diuinitatem, partem, quæ humanitas vnita est.* Sed verique tamen partis nomen laxè, nec rigore philosophico vsurpauit, sed solum pro componente, vt eumque, quod longe est diuersum, vt ex iam dicendis ad rationes oppositas constabit.

5. Etenim, vt controuersi de Incarnat. ostendimus Deus in Christo pars non est, licet Christus vnum quid sit, atque strictè compositum: sed sola humanitas in ea compositione pars est. Huius rationem dedimus proximè: quia de ratione partis est esse ab alio media vnione, & coniunctione perfectibilem: quare, si alterum compositionis extremum ab altero perfectibile non sit (vt Deus non est) neque pars strictè erit. Cum autem humanitas à Verbo Deo perfectibilis sit, & perfectior in Christo, pars in illo proculdubio erit: Deusque illi vnus eius perfectiuus, & actus erit, quod enti summe perfectio, & in actu non repugnat, faciliusque est, vt ex utroque vnum per se, & propriè, ac strictè compositum per se sit: cum eius actus ens in actu perfectissimum sit. Quid autem ratio perfectibilitatis seu partis, essentialiter claudat dilucide à nobis explicatum est disp. proxima. controuersi, de Deo, & Trino, & Incarnat. q. 2. art. 5. à n. 3. scilicet independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud suæ actuali, siue possibili, quam non dicit humanitas Christi: quia licet natura, & exigentia sua, neque ab actuali, neque à possibili vnione ad aliud pendeat, ac proinde natura sua totum esse deberet; alit eius existentia dependenter ab vnione ad aliud dari à Deo potest, sique data humanitati Christi est, vti Patres, & Concilia ibi citata nos docent, dum aiunt Verbo Deo eam inexistere, atque ab eo speciatim dependere, ac sustentari: quare & pars in eo est: in quo non est pars Deus, neque esse potest: quia neque in sui existentia ab vnione ad humanitatem, aliudue creatum dependere: & quare nec totius rationem adhuc ex suo arbitrio, & dignatione amittere: quo opposita omnia prius euacuantur.

QVÆSTIO